kat.komp.
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
59738
III Mag. St. Dr. P

D.

Mikołajski Jos. Joan: Astrum boni ominis

D. Joannes à Cruce.

~~Teol. 5131.~~

ASTRUM
BONI OMINIS
D. JOANNES
à CRUCE,
Inter Sidera Carmeli
Sanctitate Virtutum, & Miraculorum claritate
REFULGENS,
Annua Feſtivitatis ſuæ redeunte luce
In Celeberrima S. MICHAELIS
ARCHANGELI BASILICA
P.P. Carmelitarum Diſcalceatorũ Cracovienſiũ
In Præſentia Magnorum Hoſpitum
PER
M. IOSEPHUM IOANNEM
MIKOŁAYSKI,
In Alma Univerſitate Cracovienſi Philoſophiæ Doctorem,
& Profeſſorem; Scholæ Sanctorum Omnium
SENIOREM,
Oratoria Demonſtratione
OBSERVATUS.
Annô quô
Sol Iuſtitiæ refulſit in Virgine terris 1728.
Die 14. Decembris.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

468.

IN ARMA
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS ŁASZOWSCYORUM.



I.

ANNULUS Illuſtris, quem ſpectas, (fors ſine gemma?
Pro gemma cerîs CRUX nitet alma Suîs)
Armipotens bellis deſponſat ubiq; triumphos,
Fortunam Lechiæ; CRUX benedicit Ei.

II.

ANNULUS eſt medius diviſus ſorte Secunda;
Patria dimidium, Gloria, Fama tenent:
ŁASZOWSKI DOMUS affinis cum Gente Polona;
Lechia quò gaudet, poſſidet omne decus.

III.

Sarmatiæ fines caſu crux nulla gravabit;
ANNULUS hanc roſtrîs limitat ire viam.

59738 III

ILLVSTRISSIMO, AC MAGNIFICO DOMINO, D. STEPHANO

De Kraſzkowice in Łazow

ŁASZOWSKI,

Regiminis Gvardiæ S.R. MAIESTATIS CAPITANO &c. &c.

Domino Mecænati Amplissimo.

TErreſtri de Empyrèô, trinoq; Carmeli à Sidere divertens BONI OMINIS ASTRVM bene ſibi publicam ſub Tuo Nomine auſpicatur lucem. Illuſtriſſime Domine Mecænas. *Coronam etenim Tuus etymus ſonat; D. IOANNES à Cruce inſigne Carmeli Decus, candore ipſo notabilis Gemma; quia exinde Coronâ dignus, Tuo etiam Nomini debuit dedicari. Trabeata Ille inſignis CRVCE, Tu CRVCEM in Stemmate geris, fauſtè Crux ad Crucem accedit; nam pretium pretio venit. Rotundum Gentilitius ANNVLVS Tuus ſinuatur in Orbem; Sideribus, quia tantùm intra ſphæricos Cælorum morari*

Polos innatum est; ASTRVM BONI OMINIS *intra Tui Stemmatis Sphæram locandum erat. Imò nec alibi celsus Carmeli Splendor D. IOANNES à Cruce ad publici Solis oculum videri voluit; quàm in Tua* Illustrissima Domo; *quæ præstantibus conspicua Viris, Magnis decoribus, factis, meritisq; Præclara ipsam Solis Regiã æmulatur. Et quia CRVCEM pro Stemmate gestat; affinis, & consangvinea Numinis esse probatur. Vetus hæc* Domus *in Bohemorum Solo etiam Regalibus purpuris ita claruit sola, ut quoq; sub Polono ampliata Polo ad Solia, & Regnorum Soles futuros cresceret in annos assurrectura. Stupuit splendorem Ejus Lechicus Orbis, cùm primò Magnitudinis Vestræ jubar de alieno climate prorumpens; & jam latè in sua lumina effusum, jam totô pro Patria Vesuviô ardens, jam immanes Lechici viscera soli lacerantes Harpyias fulmine quodam terrens, ac perstringens in Magna* Comitum de Skrzydlna RATVLTOVIORVM *dexteritate, Heroica virtute, bellicis, gestis ductisq; de hoste Patriæ, Fidei, Regni mille triumphis vidit, spectavit, & advertit. Auditum est totius orbis climati Magnũ* BODZETÆ *Secundi de Tuo Stemmate Nomen, cujus opera etiam primis in Regno subsellijs majora, facta omnem supra titulum cùm essent; tamen mallens Honores mereri, quàm habere inhiantem æstimatissimo Capiti Suo* ARCHI-EPISCOPALEM *Gnesnensem Infulam nec suscepisset, nisi Ei permagna Ecclesiæ necessitate, extremisq; Regni augustijs persvasum esset. Submisit tantæ Tiaræ caput Magnus in Ecclesia Præsul, gestabatq; sacris pedum Pontificiũ manibus Ipse labentis Fidei Fulcrum, & Columen.* Optimus *Pastor, Vivum pietatis Exemplar, Virtutũ Norma, &* Idea. *Primus in Polono Senatu* Princeps *primas de bono communi mente, & animo gerebat curas; Regni subselliô nemini Secundus in dando prudenti consilio primum semper agebat Consum. Tandem tùm in Ecclesia, tantùm in Gente Libera emeritus; ut Tibi* Illustrissime Domine, *quem pro Magno Antecessore habes, satis ad gloriam, & Nominis amplitudinem esset. Celsissimum mentis venerata Polonia Nomen, & Numen in* Illustrissimo

ſimo Domino IOANNE de Kraſzkowice in Łaſzow ŁASZOWSKI Caſtellano *Terræ Vielunenſis* *Tuo* Illuſtriſſime Domine Tritavo; *qui non tantùm ex eo multæ laudis, & multæ Poloniæ fuit Hæres, quòd de* Illuſtriſſima Wielopolſciorum Domo *lectiſſimam in Sortem amoris ſibi adjunxit Conſortem Pulcheriam, verùm etiam, quòd tantus in arena Martis apparuit Achilles; ut uno paſſu ubiq; aſſecutus victoriam elogia mereretur. Gentilitia Cruce Fidei, & Patriæ hoſtes triumphabat. Verè* Caſtellanus Illuſtriſſimus *ex hoc non minùs, quòd lumine Fidei illuſtratus ſerò licet araneam Arianorum fregit telam, ſeriò tamen Catholicæ incubuit baſi Fulcrum, & Antemurale Eccleſiæ toties repertus; quoties pro Domo DEI quæſitus Orator. Magnus Reipublicæ Civis, Pater Patriæ; cujus integritatem toties aperto pectore tutatus, quoties Martis ingrediebatur arenam. Eodem planè veſtigiò Magni Parentis non Minor proceſſit Filius* Illuſtr: Dominus GABRIEL ŁASZOWSKI, *& in maximis propinquo Honorum faſtigio ſtetit.* Iudex *Terræ Vielunenſis cum eſſet, Ariſtidem, & Licurgũ egit; juſtì, rectiq; amans illa in Areopago decreta ferebat; quæ ipſa formabat Themis. Pulchram Ille cum* Illuſtr: BRONIOWSKA *gloriæ ſuæ recepit Coronam in* Illuſtr: Domino STEPHANO ŁASZOWSKI Tribuno *Terræ Vielunenſis Cariſſimo Filio ſuo, &* Tuo Illuſtriſſime Domine Avo, *quem priſca ſæcula Præſtantiſſimum meminere Virum; & moderna tempora plenum Magnorum geſtorum Volumen legunt, venerantur. Omnibus Encomijs prædicandus innumeras in Martia arena, quam toties fuſo è Hoſtibus Patriæ irrigabat cruore; fecit ſibi pullulare laurus. Verus Gradivi Athleta inſomnes ſub dio aperto ducebat noctes; ut cariſſima tutiùs quieſceret Patria: apertum inimico furori impavidè opponebat pectus; ne bonũ commune quandoq; læderetur. Et ut per Faſces numerentur Avi; hac de ſtirpe natum* PARENTEM TUUM Illuſtr: GABRIELEM ŁASZOWSKI Dapiferum *Sanocenſem in Syllabo Macedonum, Auguſtorum, Iuliorum veneror, qui Magnus Conſus, Patriæ Os, & Oraculum toties acclamatus; quoties promebat ſenſus, à quibus pendebat ſalus publica, & Regnum. Hic in tan-*

tam abivit Majestatem, ut Primus Princeps hujus Familiæ deberet recenseri; ni sæculorum injuriâ citiorem in Orbes Ipsi tardaverit passum: qui ut Tibi Parentem, ita Patriæ Patrē se maluit ostendere, quàm Primatem. Atlas aureæ Libertatis auro notandus; Hercules animorum, & labentium annorum cedris, & adamanti incidendus spatium gloriæ in toto Lechia est dimensus campo, quem & proprio non semel rigavit cruore, sudoreq́, & victricibus adornavit Patriā adoreis, & Ecclesiā defendendo præclarā claregestis Virtutis Prodigiū vixit vitam perpetua jam felix luce; Cui si fatua parcarum fata pepercissent adusqvè, jam facinoribus, & probitate in Numen degenerâsset. Sed vivit adhuc in vita Socia Parente Tua Illustr: Marianna in Wysuczka de Wasilkowscijs Łaszowska, *& in Vobis* Stephano, Alexandro, Vincentio de Kraszkowice in Łaszow Łaszowscijs *Maximis Natis. Illa est; quam cum Iunone natā eruditione Marcellam, venustate, & morum elegantiâ Eudoxiam Superantem orbis venerabundus observat, ego votô non inanî adoro: ut annorum Myriades numerando adversam superet sortem semper felicissima. Primus Fratrū Tuorū* Illustr: Alexander de Kraszkowice in Łaszow Łaszowski Ensifer Vielunensis *in acie ferri, & ingenij acie Victor triumphis Poloniæ ubiq́, campum aperit, & ad Supremos honores accessum habet; quem sibi ut meritis, ita Vielunensi Ense pridem reseravit: utinam longævus in triumphū celsos honores, ac fortunam ducat Policrates. Alter* Tesaurarius Livensis Illustr: Vincentius Łaszowski *non vincere conatum, sed calcata per juga Barbarorum Tua studet consequi vestigia; ubi zelum honoris Divini, cultum, & amorem Cælituum, animum* Gradivi *ita comparat, ut verè Frater Tuus comparere possit; cui propitij Superi parant prosperrimos cum Curulibus in Patria successus. Tantum ex hac* Illustissima Antecessorum, *quam Adoratore hactenùs recensui Calamô, serie, tantū ex* Illustr: *Fratribus Tuis, qvos & magni modò ambiunt honores, & maximi expectant; tantum ex Colligato Sangvine* Celsissimorum, Illustrissimorum, Excellentissimorū Wisniowieccıorum, Czartoryisciorum

Sangu

SANGUSCONUM, S.R. Imperij Principū LUBOMIRSCIORUM, MYSZKOWSCIORŪ, WIELOPOLSCIORŪ, KOMOROWSCIORUM, KALINOWSCIORUM, PIENIĄZKOVIORUM, ZOARDORUM, TĘCZYNSCIORUM, BRANICCIORUM, POTOCCIORUM, HUMIECCIORUM, GNIEVOSZORUM, MORSTINORUM, STRUSONUM, ROZYCORUM, GLINSCIORUM, MAGIERONUM, GORAYSCYORUM, CZURYLONUM, KORBUTONUM, ZORAVINSCIORUM, *aliorumq́, qui Omnes Gloria Gentis Tullianas excedunt immensitate Virtutum, & meritorum Gradationes, ac ingenia; ad Nominis splendorem, & amplitudinē habes: Ipse Tibi famam gloriosis facinoribus, gestisq́, auro, & cedro notandis in immensum protendis. Secundus inter Fratres Tuos primam aspexisti lucem, cæteros ad sublimia sequi Antecessores, alios præire spectaris: singuli Te sibi præferunt; Tu Tibi universos. Ut pro medio, & remedio conquerenti Te offerres Patriæ; medius nasci voluisti. Necdum Natus & jam Notus eras; ex* Illustrissimo Sangvine *galeatus, & loricatus ita emersisti Hercules; ut in cunis non ad bellaria, sed ad bella Inimicos profligaturus ubiq́ cuneos nutrires animum. Dedisti teneros Musis, & doctæ Palladi annos; ad magna Natus primam Domi non arctabas Iuventam, ast ad Doctum Te contulisti Apollinem, à quo indolem omni scibili pulchram, ingenium, & mentem bene in artibus formatā cum reciperes, alienos ut illustrares in primo ortu meridianū spargens splendorem Orbes; exteras nationes lustrâsti; genuinus Aquilæ Polonæ Pullus spectâsti irretortâ Soles exoticos pupillâ; in quibus quidquid veri fulgoris videras, ad claritatem Nominis Tui adaptâsti: Rediisti exinde pulchris moribus, & compta politie spectandus; statimq́ Primis in Regno Proceribus, & Principibus in cor, & delicium cessisti. Viderat Te ad quævis eximia formatum, promptum, & agilem* Serenissimus, *ac* Invictissimus AVGVSTVS Secundus Regni *Felicitas; & in Majestate Suæ mentis positum ad quævis maxima negotia censuit, æstimavitq́ delegandum: Bene persvasus de Te nullos Barbarorum esse furores, quos non ferias; nullam hostium audaciam, quam non disanimes; nullam Martialem rebellium, & quorumvis Inimicorū inventionem strate-*

 tage-

tagematum, quam non perdas; Te Regimini Gvardiæ Suæ Sacræ Majestatis *præposuit CAPITANUM. Duxisti nuper Primas S. R.* Majestatis *Cochortes sub Dantisci urbem, atq; expeditissima dexteritate Tua docuisti, quanta reverentia* Majestati *debeatur, & Polono Nomini æstimatio; ubi notabile Capiti Tuo inhæserat vulnus Patriæ in medelã. Vidit, & æstimavit Polonus orbis Magna Tuæ Virtutis documenta, cùm etiam ad sedandos Torunij excessus, puniendamq; vesanam Hæreticorum insaniam cum* Celsissimis, ac Illustrissimis Commissarijs Regni *Polono activitate Herculea exercitui præibas, & hæc egisti; quæ Te Magnis Majorẽ Viris, & Maximis parem effecêre. Plura de Te scribere Conanti plura sese ingerunt, & insinuant; quæ, cùm totos adimplerent fastos, tenuem hanc pagellam, & quorumvis Oratorum captum (toto enim capi vix possunt orbe) & conceptum exsuperant; nec Tulliana prætendunt lumina ex se* Illustrissima. *Unde quia non in voces prorumpere, verùm in altum obrigescere silentiũ facundia cogitur; humilî stylô desino in vota: ut BONI OMINIS ASTRUM, quod è Sidereo Carmeli Monte in publicam sub TUO* ILLUSTRISSIMO NOMINE *reflectit lucem; prosperrimos Cælorum Tibi inflectat, & efficiat influxus, ad Primos præluceat Honores, ac candidissima incolumis vitæ accendat lustra: Ita precor*

Illustrissimæ ac Magnificæ Dominationis Vestræ

Devinctissimus Cliens,
& Servus

Author Operis.

ORATIO.

CArdo temporum iniquè ſtrepens ut in meliores moveatur fortunas, difficillimum opus aggredior; ut tamen pateat, ope Suprema aperiendũ eſſe cenſeo. AA. Tantæ enim molis eſt ſereniores è rerum tempeſtate emergere ſoles, ut vel ipſa amica arti natura mutari, ſi non mutuetur robur deſuper, videatur; vel ordinum baſis graviore in deterius ruat caſu. Nemo ſibi ad noviſſimorum adventum adventitiam pollicetur fortunam. Igne, & ſaxîs movendus animus, ut ubi ad ultimũ lapidem offendendum, ibi in altum ſur-

gere contingat. Inter deciduas ſtellas non concidere mente, cui (quæſo) cõceſſum? inter Superos Cælorum motus inſuperabiles Orbi conſurgunt metus. Verè Gordius nodus in ſolvendis periculis, ubi ipſa Gratia Jòánnes in vinculis. Brumales ferias intactam rerum ferire ideam experientiâ probatũ. Martis diem in Gradivi erumpere incẽdia, ut plurimùm repertum. Diviniſſimum hujus Templi Præſidem MICHAELEM in minaces abire vices, & voces: QUIS UT DEUS, actum eſt. Ergone mortalium mentes fulminibus quaſſari non debeant, ſi Olympici montes per decretorium Judicis fas infandam ſui incurrunt annihilationem? ergone in manantem lacte, & melle terram abeundum erit, ſi fulgura, & ignes beatiorem præpediunt tendentiam? ergone aurora prænuntia lucis feſta nobis declarabit hilaria, ſi unicus Cæli oculus Sol diaphanas everberans palpebras diſordine rerum obſcuratur? ad cujus radiorũ exſpirium publica diſanimatur facies ita; ut non

tan-

tantùm irradicata àëri eliminet lumina, verùm etiam ad limina mundi cæcutientes lunas, pavidas noctes, tetricam caliginem extremâ diſſeminet providentià. Alibi naſcentis vitæ ſperamus lachrymas, hìc fletum, & ſtridorem toto piſcamur alvèó. Alibi votiva primæ Claſſis expectamus ſolennia, hìc tragædias, & triſtes peragimus nænias. Verùm abſint Martes, & mortes, extra Garamantas, & Indos non retròeundo abeant paſſu; non plùs periculo, & calamitati incumbendum, ubi Feſta D. IOANNIS à Cruce plùs ultra Divinîs gratjîs gaudendi, & perfruendi celebrant Diem, in qua, quòd auſpicatiſſimô diluculô exoritur D. IOANNES veluti Sol, qui flammigerîs mundum complectitur habenîs, terminum opacis rerum viciſſitudinibus, & metam ponit; & ubi tenebrîs nigreſcere omnia advertimus, candidiſſimum melioris ſortis invenimus album. Magnum quippe Lumen hodierna luce tenebrioni illuxit univerſo, à cujus ſplendidiſſima rota in publicam com-

munis lætitiæ rotamur lucem. Quare ſplendorẽ quem annotâſti Orbis, adora; Ego D. IOANNEM à Cruce ASTRVM BONI OMINIS Oratoriô accendam ſtylô. Talem Te D. IOANNES à Cruce Vniverſus Orbis ſerena intuebitur fronte; ſi radios gratiæ, & protectionis Tuæ umbratili infundes ſvadæ. Veſtra verò benevola attentio AA. diffuſi in abundantiam boni ominis, hujus Divini Luminis obſervabit veritatem clariùs; ſi huc ſupercilia, & oculos Veſtros convertetis.

EXtra Stellantis Olympi commenta Carmelũ ELIÆ montem ad mentem publicæ veritatis Cælum Veſtris propono obtutibus. Tenet conterminum Polo ſplendorem Carmelitana Religio, quô inde ſuum derivâſſe probet ortum; vel ſuæ Sacratiſſimæ Regulæ Profeſſores in ſidera tranſformare profiteatur. Non deſunt hìc veriores fabulosa antiquitate Saturni, quorum caput aurum optimum pretioſioribûs aureo rore inferiora ditando influentjîs cuivis tempori ex-

tem-

tempore ingens meditatur pondus, & valorem. Non unius Palladis doctas veneramur cunas, ſuper quam Sobolem Sacratiora Jovis non ſemel ſudârunt cerebella. Multos diceres Martes, quos in pulvere ſcholaſtico cum decumano errorum diſſidente decertantes, aut ſuper adverſariam ignorantiam triumphantes adverteres. Multi hìc delectant movendo, movent docendo, quorum nomina Tullij, Hortenſij, Torquates, potiſſimùm Mercurij in libro poſteritatis annotata. Spectamus in hoc Myſtico Sanctitatis Cælo Lunas, ubi perfectam virtutum advertimus ſine decreſcente plenitudinem. Noviſtis hæc AA. Lumina, & Soles Carmelitanos? noſcite & IOANNEM à Cruce quem nobis redeuntia ASTRUM BONI OMINIS oſtendêre tempora. Vix in Abulenſi Diæceſi Cimmerijs naturæ ſolutus vinculîs primam aſpexit lucem, illico feliciore ſecundatus ſorte non tantùm Gentilitias Familiarum ceras igne Amoris Divini, ut meliùs lucerent, accendit, verùm etiam obſcuratum protunc vi-

tîjs illuſtravit Orbem, quô ſe BONI OMINIS probaret ASTRVM. Rumpantur craſſæ Ægyptiorum noctes, ubi horoſcopante Phæbo ſanctitatis, & ſcientiæ novum de nobiliſſimo Iepeſiorum ſangvine emergit Lumen. In ſacris Baptiſmi lymphis juſtitiæ ſpeculatus Solem reflexum derivabat jubar, ut luce orbũ illuminaret orbem, & immundũ efficeret mundum. Voce Clamantis dotatus IOANNES, quâ clariùs bona terris declamaret omina, Lingva Cæli (ASTRVM intelligo) in Sanctiſſimo ſuo declaratur nomine. Devolvat terris Olympia fulmina, dum prodit Macedones; accendat Octavia ſplendidiſſimos, ut octo Soles, dum generat Auguſtum; Catharina Alvarez ASTRUM protulit, dum IOANNEM, Gratiã, dũ BONI OMINIS Fortunatũ nobis advexit SIDVS. Habet (ut fatear) Lucina ſuos Lucios; Abulenſe ſolum ſuum Solem, ubi è diluculo orientis vitæ ASTRVM IOANNES cognoſcitur. Genethliacon ſuum ulterioris vitæ illuſtravit ſplendore,

dore; quô ſe ex aſſe Hæres luminis, & BONI OMINIS oſtenderet. IOANNIS Noſtri cunæ aurei gratiarum poſſunt nominari cunei, ubi ad crepundia D. Puſionis Alcides orcus ſtetit immotus; vel ſatius motus, quandoquidem ad Infantilem vocem trepidavit; & ita inferiores tenebras Infantilibûs lachrymîs, & faſcjîs extinxit IOANNES, ut ſe Cæleſtem Facem probare non negaret. Hinc accenditur infernalis rabies furoribûs contra Cæleſte Lumen, & furit, ut vel furetur ſplendorem, vel extingvat radios probitatis, vel feriat diaphanam Innocentiam; fertur in adverſa. Ignito pectori aquariam lacum, flammeo erga Superos Amoris ardori gelidas undas, foventi Divinas ſcintillas cordis Claſſi Scyllas, & Charybdes veſano impetu ambitioſus exambit opponere. Movet deniq; repletum fluctibûs Neptunum Pluto, ut mobilem Iuventam quantocyùs in ultimam inclinet procellam. Verùm fixum SIDVS IOANNES cadere ignorat. Hæret quidem in aquis, ſed flu-

 ctuare

ctuare nescit; imò splendidiùs allucet Nymphis, ut innotescere faciat cavendos Mundi Navarchis ad scopum beatitudinis tendentibus scopulos, ad quos allisæ non semel periêre rates. Videto inferne, quantum naufragium patiaris, dum IOANNEM naufragari cupis: in foveam cadis, quam in aquis Sacro fodis IUVENI. Virtus inoffenso pede Syrtes transgreditur, nec inter fluctus Scyllas novit; nocivas Syrenes ridet cum Vlysse. In hoc tantùm infernalis Tyranne clemens Tua crudelitas, quòd in aquarum speculo condidisti IOANNEM. Spectaculum Orbis, quia ASTRVM, in speculo condi debuit, crystallina virtus in Neptuni crystallo reservanda erat; Virgineum innocentiæ SIDVS noverat perbelle, & hinc speculũ ei subministravit; ut videret, quàm sint decori reflexi radij melioris fortunæ bonum in filo Orbi monstraturi argumentũ. Nescius aduri undarum æstu, & astu cocyti una de Plejadibus Stella IOANNES tempestatem præsagit non aliam, nisi, quâ grandi-

net

net gemmîs, riguôq; Cælum depluat aurô. Gemmea eſt STELLA IOANNES, inter fulmina, & fluminum procellas enutritur, in ſcabroſa navalium periculorum educatur concha; idcirco demerſus in littus emergit, ne Vrinatoribus laborem in quærendo faciat. Alter de Eridano Phæbus oritur, cui auxiliô ſuô Aurora MARIA antè præfulſit; ideò aquîs non extingvitur, ut luceat coram hominibus; quô ſe ASTRVM BONI OMINIS gratîjs IOANNES oſtendat. Verùm vix ſedatus Neptunus æſtuantes abſorpſit fluctus, & ecce immane Monſtrum de ſtygijs emergit undis, cujus fauces eructant flammas, ſpargunt oculi ignes, collũ ferrea arctat catena, rigent ardentibûs flammati pedes ungvibûs, ſcintillat juba, candeſcunt dentes. Stridet dentibûs, aſt non deterrebit IOANNEM, qui aduſq; edaci temporũ non corroditur dente; diductos opponit rictus, & hiatus, has exhalationes ſibi approximare non patietur; quia STELLA ſplendidiſſima. Allatret, non terre-

 bit,

bit; aſpiciat, non conſternabit; aggrediatur, non mordebit. Cornutum SIDVS IOANNES habet ſua arma, quibûs contra te pugnet mortalibus infenſe draco, & tuam diſarmet audaciam, diſarmatam uincat, ſuper victam triumphet. Leo in via averne atros evomens ignes ſi in SIDVS transformari ſtudes, ut ita Luminare Noſtrum ſocium tuo valeas jungere Zodiaco? extingvet peſſimam conſtellationem IOANNES, in quem, dum Ipſe favoribûs influat DEVS, nihil non Cæleſte poteſt indicare. Actum eſt AA. poſt ſiniſtros conflictus afflictus animæ hoſtis, durîs caſibûs actus agitur in mortem Mars erebus, cujus tota vita unica mors. Non eſt erraticum SIDVS IOANNES, ita ſuæ ſphæram activitatis amat, ut moveri ignoret quovis inſultu, niſi ad ſuæ lucis augmentum, & ad bonum inferioribus influxum per motum communicandum; quia diviſum Cælum cum Iove IOANNES habet. Neſcius erroris à tramite recti nunquam deviabit, cujus Infantia lacteâ innocentiæ incedit

cedit viâ. Triumphate Cæleſtia ASTRA, Polus Arcticus IOANNES arcet fatuos ignes, & poſt victoriā canit triumphum. A publica nihilominùs calamitatum voce non abſtinet publicæ inopiæ pro teſſera ſeſe ASTRVM comunicando. Gaude Abulenſis terra, quòd ſub tanto SIDERE bona Nomina, & omina habitura judicaris; cujus bono ut meliùs arte, & Marte conſulat, pietati, & Sapientiæ ſtudet IOANNES. Auguſto tamen Nomini, & Numini anguſti videbantur domeſtici Zodiaci; ac ideò in Noſocomiæ Minervæ ſphæra, ſeu ſigno ASTRū hoc ſuum peragit Solſtitium. Et bene eſt; id unicum enim defuerat IOANNI, ut poſt inſtructa pauperibus obſonia aureîs de Ligno ſcientiæ veſcens radicibûs, veluti radjîs in publicam æternitati enutriretur lucem. Omnem ingeniô doctrinam complexus lucidiſſimum factus eſt Spectaculum, & Speculum, in cujus cultiſſimo pectore clarū quendam ſapientiæ Orbem ita demirabantur minores trochilli, ut omnium in ſe ora, oculoſq;

 con-

convertiſſe videretur. Et non fruſtra; quia ad Divinum ASTRVM Scholaſtici motus, Tulliana oſtra, & roſtra, ut clariùs dicendo proficerent, regulari debuerant à Regula boni, rectiq́; cōſcia fuſius Lumen derivatura. Si attentiùs conſtituti in arena literaria pueriles legerentur IOANNIS characteres, ubiq; ſonoras Virtutum proferre probarentur conſonantes; Qui in hac bonorũ operum ſtetit auge, ut illorum Syllabus à cunctis in immenſũ clarere obſervaretur. Conſiderate; ut ſcholaſtici Luci ſuam lucē habeant, quâ prælucente obſcuræ in errorum anfractus non devient mentes, ASTRVM BONI OMINIS IOANNEM nanciſcuntur: ubi Eum ad paginarũ albedinem ſplendere, ad Cleanthis lucernam Cæli LUCERNAM invigilare, ad nigros characterum colores calere, ad linearum ordines ſphæram Virtutis non excedere ſuum ſtudioſæ Claſſes Lumen venerantur, & adorant, ut pote Illum; qui ita compendiosè diſcebat literas, ut nec unum probitatis jota ad complendũ,

quô

quô bearet ſingulos, ſuum ſplendorem, omitteret. Ingreditur Parnaſſi colles in vertice celſo excelſi genij, & ingenij radium altiùs elevaturus, quô producat brevem vitam longa rectegeſtorũ creſcere quantitate. Cæſuras conſcientiæ nunquam novit; illas tantummodò perfectè didicit, quibûs cædere, & occidere mundi illicia ſciret. In nullo unquã exceſſit niſi in maxima humilitate, virtute, & eruditione, quòd ſuper omnes emineret. De virtute ergò in virtutem ſcandere ſciens ubi velox in Oratorijs apparet liminibus, novum Arpinaticum Lumen, & Numen ſalutatur. Placet D. IOANNES hæc translatio, ubi vel à Cælo terris, vel à terra Cælis Te translatum Oratorem ipſa etiam antiquitas adoraret. Ita ore inclaruiſti; ut Verba Tua oracula fortunatorũ ſucceſſuum crederentur. Viva vox IOANNES vitam perorat, velut alter Pericles fulmina etiam dicendo frangit; ne noceant mari, & terris, ſvavitate verborum attendit, ut ASTRVM Oratorîj Cælî appareat viſendus. In-

E vide-

videbant Arpinaticis luminibus, quòd illis maximam communicaret claritatē, Solem IOANNEM Philoſophici circuli, in quibus ſuum abſoluturus curſum currit IOANNES, & diſputantium umbris ad mentem inclareſcit, ut illis in proselloſo Euripo periclitari non contingat; & ne Philoſophorum eclypſentur Luminaria, ſuo ſplendore ASTRVM BONI OMINIS ſe illis pro argumento objjcit concludendum. Poſt diſerta Scholarum Olympia, quæ illæſus ad lapidem offenſionis decurrit, ad deſertos à Mundo, & delicîjs ſæculorum recurrit receſſus, in quibus ut Vox DEI IOANNES promineat, Sanctiſſimam ſequitur vocationem, & ad Carmeli Montes diluculo ætatis Suæ tempore exoritur Religioſus primitivam ELIÆ regulam luſtraturus, ac illuſtraturus. Sed ſiſte gradum IOANNES, quò præcipites maturas paſſus? obicem Tibi ponit ipſa indoles, ubi indolet abeunti ulteriores fortunæ, & futuræ ſortis ſpes proponendo. Ergone ab honorarijs faſcibus ad Cru-

ces

ces properas? ergone à divitijs ad paupertatem divertis? à præclaris Familiarum ceris ad religiosas confers Te umbras? Mundum tenebrionem in Cimmeriîs periturum noctibus relinquis? quò raperis votorum impetu? Decuit JOANNEM Terrestre SIDVS violento etiam moveri motu, quô violentos adversitatum propelleret ab orbe insultus. Prævidit equidem IOANNES tempestatem Mundi sæpenumerò exundare, & ex hac etiam serenissimis mentibus nubila non rarò profundi, imbribûs sævîs orbem feriri, & furere; ne hîs, & similibûs extingvatur D. ASTRVM procellîs, sub pallium ELIÆ veluti sub beatius fortunæ tectum confugit lumen claræ conscientiæ prosemper in religioso habitu habere cupiendo. Vel ideò tenebrionem mundum deseruit, ut sui Luminis sequacem in beatam educeret semitam; vel ut ex antris Carmeli clarius jubar universo explicaret. Congaudet: Domus Carmelitana Tanto Hospite, & Advena, & in festivos aperitur

applausus, Orientem inter Sidera sua salutat STELLAM BONA OMINA concipiendo ex IOANNE; Indolem in fundo humilitatis natam, & educatam non nisi maximis aptam successibus agnoscit. Nec votô inanî; quia conceptã de se spem IOANNES perfecit. Totus ardoribûs pietatis exarsit verè Eliani cordis Flamma; aut Cælestis. Regulas omnes intaminatus Sphæræ Religiosæ observat, sancita perantiqua Ordinis, ut oracula commendat, eâ reverentiâ statutorum curam inculcat alijs, ut Ipse Legislator redivivus ad lumen probitatis legeretur; Cujus precibus sociata demissio attollit devotionem, prona Cælorum adoratio Majestatem pietati apud Superos conciliat, submissæ enim voces citiùs merentur exaudiri. Lecti de sacris voluminibus pij affectûs ardores, quibûs & solus inclarescebat, & universum incendebat, in panegyres Ei abiêre, ubi ASTRVM BONI OMINIS inde Officiosô meretur calamô indigitari. Per amoris quippe Divini radios illustrat orbem,

bem, inflammat per innocentiæ cryſtallum; ut quamvis Cælo affixum SIDUS credatur IOANNES, otiari tamen haud gnarus per clari fulgorem exempli in mentibus hominum, in viſceribus cordium metalla pretioſæ virtutis operatur, publicam felicitatis accendit lucem, privatis adſcintillat conatibus, ſecundo in Mundum influit aſpectu. Diverſimodè ASTRA regunt homines; ASTRVM IOANNES nonniſi ad bona opera dirigitur à Prima Motrice Intelligentia, & dirigit. Gratîjs ex etymo Nominis imminet IOANNES, ergò in ſpem magnã deſperata emergebat, & emerſura eſt calamitas Ipsũ à longè, & è proximò contemplata. Semper anchoram cum bilance ſuprema ad beatiores quiſq; Palinurus dirigebat Inſulas, ſemper aſpirabant gratô entheô Favonij, quoties viator Sanctũ SIDVS IOANNEM obſervabat. Surge profanate orbis, tolle hilarius ſupercilium, plaude libero pede, incolumis, fortunatus, ac perennis futurus agnoſceris; ubi Tibi JOANNES ad

F aram

aram non profanorum fanorum, sed Numinis, quo vivimus, & calescimus omnes, in titulum erigitur. Vix enim sacrîs initiatus incruenta pro Te ad DEI Altare ádolet sacrificia, gratiâ confirmationis accenditur, ut Tibi ASTRVM BONI OMINIS splendidiùs, perēniterq; luceat; à DEO confirmatur. Sonat tandē Vox Clamantis in deserto prædicatione JOANNES; ut à cunctis audiatur, & ignitô eloquiô Lumen mundi esse percipiatur. Plures ille exemplô docuit, quàm Romanꝰ Tullius docendo persvasit. Verba Ejus Lumina erant, quibûs ut fugabat cæcitatem mentis; ita meridiē Sanctitatis accendebat. Nunquam ad Ejus disertū in suggestibus, serenū in tribunali Confessionis ortum occidebat devotio; imò adveniebat in penetralia animi dies probitatis. Semper doluit, quantumvis semper sanus mente fuerit; ne mundus doleret, optando. Nunquam dissolutus precibûs, & ligatîs manibûs ligabat Numinis Clementiam, & dissoluto orbi inflectebat, quâ bearet. Cæ-

teris

teris cùm præesset, humilitatem coluit, ab omnibus colendus. In consilio, & auxilio auxesis successuum, in patientia Norma, & Forma universæ Virtutis universi se præbuit oculo; ut Divino amore, more, & re ex utroq; Cæsar, seu ASTRVM crederetur Divinissimũ, cui omnibus æquè lucere est decretũ. Spiritu Prophetiæ animatus aureos horarum fluxus, pretiosa sortis faventis tempora, pulchram Ecclesiæ serenitatem, serenam Mundo pulchritudinem efficaci omine nuntiabat ASTRVM BONI OMINIS se demonstrando. Nec abscondita cordis latitabant IOANNEM; tantum enim Spiritûs Divini lumen habuit, quô posset tenebrescentes illuminare animos. Tenebrarum Principes abhorrebant IOANNEM, quia mali ominis sidera, seu potiùs infernales adusti titiones; extemplô fugiebant, quàm primùm venturum Ecclesiæ Sponsum prænoscebant Lumen. Taceat, nec jactet ambitiosa antiquitas Prometheum flammâ ignîs de Cælo raptî

animâſſe hominem: à Noſtro IOANNE ut pote Flammâ Cæleſti BONI OMINIS ardorem profundente in ultimis periculis, extremis morbis, & mortalibus etiam poſiti Cimmerijs diutioris vitæ derivârunt, & derivare non ceſſant jubar, & initium. Dicat Iſabella ab Incarnatione, dicant alij innumeri, cujus operatione longiorem jam abbreviandi in vita aſpexerunt lucem, ſi non influxu IOANNIS? fateatur univerſa Granata,& Abulenſis Urbs, integer mundus quot miracula, quot prodigia gratiarũ demirando ſtupuit? Non aliter profectò non aliter decebat ASTRVM apparere IOANNEM, & vitæ peragere motus non alios; niſi Sancta loqui, inopiam, & quaſcunq; afflictiones eliminare, mortis propellere umbras, pacem, amorẽ DEI, fortunam, & proſperrima quævis introducere; ut eſſet BONI OMINIS. Hìc jam IOANNES poſtquàm clarificaverit Nomen, & notum fecerit gentibus, ſphæram terrarũ ſublunarẽ deſerit, in Firmamentum Angelicîs transfertur mani-

bûs

bûs novum SIDVS; ad ſplendidiſſimum Solem juſtitiæ è vita diſcedit, ut curſũ ſuum velociorem diſcedendo faciat in perpetuas æternitates ſplendorem ſparſurus in omnes, & conſtellationẽ in Cæleſti regione peracturus. Sed eheu orbis! vide quantam amittis lucem, oculũ perdis; frontem brevi non habiturus. Vix ASTRVM IOANNEM occidere advertimus, illico gemitu tecta fremunt, reſonat plangoribûs æther; acſi im̃iſsîs ruat Carthago omnis hoſtibûs. Graves mundus attollit oculos, naufragantibus in lachrymarum oceano pupillîs inextinctam pupillus quærit lucem, ſuſpirîjs implorat Cælum: Irim demitte Olympe; quæ luctantem animam, nexoſq; mærore reſolveret artus. Sed quid eſt? quouſq; ſolves in amaros lumina fletus? quouſq; largo humectabis flumine vultum, & per ſinus lachrymæ fluminis inſtar ibunt? noli imo trahere de pectore queſtus; & periclitari in luctibus. Ideô IOANNES mortuus, ut Tu vitã conſequereris feliciorem; ideò è terris ad Cælos migravit,

ut Tibi è Supremo Polo clariorẽ velociori impetu demitteret radiũ; ideo nube mortalitatis velatus, ut poſt nubila illuſtrior intenſiorẽ ſpargat protectionis in Te claritatem. Forſan etenim non crederes JOANNEM BONI OMINIS LUMEN, ſi in Cælo Empyreo veluti Firmamento non locaretur firmiùs orbẽ clarificaturus. Solvito itaq; corde metũ efficaciores poſſeſſurus gratiarum influentias: quò enim altiùs Aſtra elevantur; eò intenſiùs demittunt jubar. Et hinc eſt; quòd ad Sanctas exuvias omne genus morborũ degenerat, omnis calamitas melioris ſortis feſtam celebrat diem; quam IOANNES, quia ASTRVM BONI OMINIS, accendit. Per novem horas continuò ardens ad Sanctum ſepulchrũ non minutus cereus non minutũ; aſt primæ magnitudinis LUMINARE JOANNEM oſtendit. Lintea mirifico clarent ſplendore, ubi ſi veſtigia IOANNIS ſplendere cernuntur (quibus quævis abſtergitur infelicitas) Ipſum IOANNEM ASTRUM BONI OMINIS eſſe jure af-

fir-

firmandũ eſt. Coronâſſem ego IOANNEM floribûs, & ad hyemales ferias immarceſcibile Lilium regalem ſpargens Virtutum odorem propoſuiſſem; ni ſcirem, quòd flores non diu colores retinent: citiùs marceſcunt, quàm virent; Propinâſſem Eum Fontem, & ad guſtum Auditoris condidiſſem, ex quo omnis Virtutis promanabant rivuli; ſed habent ſuos flumina ſcopulos, ad quos plurimæ alliduntur claſſes. ASTRVM ergò BONIS OMINIS IOANNEM malui Veſtro oſtendere conſpectui; quòd enim propoſitæ à me defuit Oratoriæ, hoc in IOANNE præclarè videre licet, & admirari. Reddo, quod Veſtrum eſt Sacratiſſime Ordo. Veſtra gloria, & honos eſt; quòd D. IOANNES à Cruce in Veſtris Penatibus ita reſplenduit; ut ASTRVM BONI OMINIS publica luce clarere cenſeretur. Parcite umbratili Oratoris ſvadæ, quæ hunc ſplẽdorẽ non illuſtravit; ſed Vobis tantummodò, quod Veſtrum eſt, repræſentavit. Perorant clarè pro Domo Veſtra Oratoria Lumina; qvòd

niveo habitu candidi ex præmiſſis claregeſtorum demonſtremini Soles: Nihil quippe non illuſtre, nihil non publico Sole dignum in Veſtro devotiſſimo poteſt reperiri Cætu, nihil non igneum Amore Divino ſcintillans ad igniferum Eliæ mucronem cenſeri, nihil non ſplendidum, & cryſtallinum ad Veſtras apparere umbras; ut pote: qui Lumina Mundi, Luminaria Sanctitatis; triumphales Ecclefiæ militantis Ignes lunato obſervamini poplite. Verùm quia maximæ humilitatis Cultores Rhetoricîs gradationibûs ire ad ſidera negatis, niſi virtute, & meritîs; altô Veſtras laudes veneror ſilentiô. Et ubi jam meridiano ſuo ſplendore JOANNES D. ASTRUM BONI OMINIS Oratoria extingvit lumina, & ſpectatricem pupillam cæcutienté everberat; deſino Tullianam vocem, in vota ſupplicî prorumpo facundiâ. Eleva JOANNES D. protectionis Tuæ radium in Poloniam, ubi Te devota Sarmatiæ Aquila irretortâ palpebrâ ſuam quærit lucem; quam, ne in occiduas claudat tenebras, ad meliorem boni publici leva ſplendorem. Florentes Regũ ſceptrîs, Principum Faſcibûs Univerſitatis Cracovienſis Lucos ita lucere facias; ut Nomini, & Honori Tuo triumphalia quotannis cremantes incendia nunquam adverſa ſorte agitentur. Omnibus Serenum Gratiæ JOANNES communica jubar; ut ASTRUM BONI OMINIS publicè agnoſcaris: qualem

D I X I.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0021820